

edle Frucht davon sein und der Geist des hl. Benedict die Seele ganz durchdringen

Die Begeisterung für einen Gegenstand setzt immer, als Folge der Erkenntnis von der Güte, Schönheit und Vortrefflichkeit desselben. Bewunderung und eine innige, hochherzige Liebe zu ihm voraus. Diese Liebe bewirkt, dass der Liebende um den Gegenstand seiner Liebe zu erlangen oder zu bewahren, gerne jedes Opfer bringt und durch dessen Erlangung so befriedigt ist, dass er nach einem anderen Gute derselben Art nicht verlangt.

Eine solche Begeisterung für seinen Orden wird den Benedictiner zu allen Opfern befähigen, die sein heiliger Beruf verlangt, und gibt die Gewähr der Beharrlichkeit.

Aus dem Gesagten geht unleugbar hervor, dass das Studium, oder vielmehr die aus dem Studium erwachsende Erkenntnis die Wurzel oder die Quelle des Geistes des hl. Benedict ist und insbesondere der Begeisterung für den heiligen Orden.

Die fortgesetzte Pflege und Entwicklung dieser Erkenntnis verbunden mit der beharrlichen Bethätigung derselben im ganzen geistlichen Leben für sich und für andere wird diese Begeisterung unterhalten und steigern und den Ordensmann in seinem Berufe wahrhaft glücklich machen. Andreerseits wird sie aber auch, dem Feuer vergleichbar, das leuchtet und erwärmt, einen guten Einfluss auf die Mitbrüder ausüben und so wesentlich zum Gedeihen des Ordenshauses beitragen.

Müchte doch jeder Benedictiner die vier genannten unerlässlichen Mittel eifrig in Anwendung bringen, damit der Geist unseres heiligen Ordensvaters uns alle beseele und uns befähige, nach dem Vorbilde unserer grossen Väter in der heiligen Kirche zu wirken.

De initiis humilibus mirabilibusque per secula incrementis Cultus B. Mariae Virginis.

Disquisitio historico liturgica, auctore R. P. Dōmno Beda Plaine, O. S. B.
(Conclusio ex fasc. III. pg. 411—419.)

4^o. Festum Immaculatae Conceptionis B. Virginis Mariae.

Aerae Christianae quintum decimum seculum paucis illustratum est heroibus sanctitatis, nec multa scientiae laude excelluit, licet feliciter adinveniret artem impressoriam, sed tamen eximio functus est munere praeparandi magnificum Virginis triumphum, cui nos ovanter plausimus die octava decembris anni 1854. Nam definitio dogmatica Immaculatae Conceptionis Virginis Deiparae erat quasi in germine inclusa tam in decreto sessionis XXXVI, anno 1439 habitae, concilii Basileensis, quod hanc doctrinam tuetur,

tum efficacius in decreto Sixti IV anni 1483, cujus virtute quaedam nova festivitas, id est festivitas Conceptionis Virginis Mariae inserta fuit in Calendario Ecclesiae universalis. Etenim Ecclesia secundum unanimem doctrinam theologorum, non potest colere quod sanctum non est, et consequenter Conceptio Virginis non poterat esse nisi immaculata ex eo quod Ecclesia eam festive celebrabat. Aliunde festivitas, de qua agitur, multo antiquior erat tum in Occidente, tum praesertim in Oriente: sed haecenus particularis erat seu localis ejus celebratio, et minime secum trahebat consequentiam, de qua agitur.

Initium habuit dicta festivitas apud Graecos et Orientales, currente sexto vel septimo seculo. Jam invenitur die nona decembris non octavo in Calendariis magis antiquis (excepto tamen Martyrologio Syriaco anni 412), verbi gratia in Typico S. Sabae sexti seculi? in Calendario Neapolitano seculi noni, in Menologio Basilii et aliis. Eam de praecepto esse decrevit imperator Emmanuel Comnenius in duodecimo seculo. In Occidente vero multo serius apparuit idem festum et sat obscura sunt et partim fabulosa ejus initia. Verumtamen debet existere exeunte undecimo seculo in aliquot monasteriis Angliae seu Normanniae, si quidem S. Anselmus olim Abbas Beccensis illud introduxit in Ecclesia Cantuariensi, non primus sed post alia exempla. Rem explicite testantur omni fide digni Patres Concilii Londinensis, quod habuit locum in anno 1328.¹⁾

Eandem festivitatem celebrabat ineunte seculo duodecimo Ecclesia Lugdunensis teste S. Bernardo.²⁾ Verumtamen eodem tempore acris etiam exorta est controversia inter theologos utrum revera B. Virgo concepta fuerit sine labe originali necne. In qua controversia, ut notum est, Bernardus ipse et post eum Ordo Praedicatorum pro parte negativa nimis audacter pugnaverunt, dum e contrario multi pii, et praesertim ordo Minorum constanter pro parte affirmativa voce et scriptis sese exhibuerunt. Quae controversia, licet non totaliter fuerit sopita per decretum Sixtinum, vires tamen hostium privilegii incommunicabilis Virginis Deiparae multum ex eo imminutae fuerunt. Imo ex eodem decreto occasionem sumpserunt Paulus V, Gregorius XV et Alexander VII in decimo septimo seculo statuendi graves poenas contra eos qui deinceps festum, cultumque conceptionis in dubium revocare auderent.³⁾

Mihi addere liceat ad laudem nostri ordinis multos alumnos S. Benedicti annumerari inter validos propugnatores privilegii

¹⁾ Concilia. Editio citata, t. XV p. 345 et 346.

²⁾ Epistola CLXXIV, n. 6.

³⁾ Alexander VII. constitutio: Sollicitudo omnium ecclesiarum, data 8. decembris 1661.

Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae¹⁾ imo in praeparanda immediate definitione dogmatica diei 8. decembris 1854 multum et feliciter allaboraverunt plures abbates et religiosi ejusdem ordinis ac praesertim primus abbas Solesmensis Dominus Prosperus Gueranger; cujus rei asservantur testimonia authentica in archivo Solesmensi.

§ 7. De Cultu B. Virginis in sexto decimo et decimo septimo seculis.

1^o. Haeretici, qui seculo sexto decimo pullulaverunt, nomen, cultumque B. Mariae, proh dolor! conviciis et injuriis affecerunt, omnem lapidem moventes ut utrumque abolerent, si fieri posset. Ecclesia Romana e contrario nihil duxit negligendum ut idem eultus magis ac magis promoveretur, altioresque radices infigeret in cordibus fidelium. Hinc sensus pietatis vere filialis erga Virginem Deiparam, quibus abunde impleti sunt Ignatius, Philippus, Carolus Borromaeus, Teresia, omnesque sancti hujus epochae, apparuerunt ex tunc quasi unus ex characteribus magis essentialibus Sanctitatis, ut dignus aliquid fieret beatificationis seu canonizationis honore. Hinc etiam erectio in collegiis et aliis domibus educationi juventutis utriusque sexus specialiter deputatis multarum piarum sodalitatuum sub nomine et protectione ejusdem Virginis Deiparae ut tam potenti patrocinio et tutela vera fides et puritas morum facilius asservarentur.

Alia res non minus digna animadversione, salutatio Angelica, quae hactenus deerat in Liturgia Romana, et cujus etiam pars secunda, seu Sancta Maria, non erat fixa quoad tenorem ejus litteralem, introducta fuit a Pio V. in Breviario Romano, tanquam formula orationis officii divini praeambula, et exinde non solum ejus tenor prorsus fixus permansit, sed etiam sanctior ipsa aliquo modo evasit siquidem isto modo frequentius jungebatur orationi dominicae, et quasi ejus conclusio fiebat.

2^o. Seculum decimum septimum pauca mihi offert digna speciali mentione relate ad Cultum Reginae coelorum et angelorum. Duo tamen verba proferam de Coronatione imaginum Virginis miraculosarum, et de festo Sanctissimi Nominis Mariae.

Ritus coronationis imaginum sanctarum, quae speciali gaudent veneratione apud fideles et fama miraculorum, peragitur hodie cum magna celebritate et frequenter cum permaximo concursu populorum sed tamen antiquus non est, siquidem prima coronatio hujus generis habuit locum Romae die vigesima septima augusti anni 1631 ad honorem cujusdam imaginis denominatae vulgo

1) Ziegelbauer: Historia litteraria Ordinis S. Benedicti t. 4, p. 176 et seq.

Madonna delle Febre, quae colitur in Basilica Vaticana¹⁾ Festivitas Sanctissimi Nominis Mariae jam existerat in Hispania ab initio seculi decimi sexti et exinde aliquam diffusionem in aliis partibus orbis Christiani acceperat,²⁾ quando post multas preces B. Virginis directas taliter profligatus est a Christianis exercitus Turcarum, qui obsidebant Viennam in Austria, ut ex eo die potentia eorum militaris quasi ad nihilum redacta fuerit sicut antea contingerat relate ad eorum potentiam Navalem ex clade Lepantina. Quod animadvertens pius Pontifex Innocentius XI, fere statim (nam victoria contigit die 12^a Septembris anni 1683 et decretum, de quo loquor, latum est die 20^a Novembris ejusdem anni) in monumentum perenne gratitudinis extendit ad universam Ecclesiam dictum festum Sancti Nominis Mariae, illudque affixit Dominicæ infra Octavam Nativitatis ejusdem Mariae. Primum est hujus generis istud decretum sed alia analogæ subsecuta sunt inter quæ illud jam memoratum de festo B. Mariae de Carmelo. Idecirco non decebat illud sub silentio hic prætermitti.

§ 8. Seculum decimum octavum: Inauguratio mensis Marialis.

Seculum decimum octavum ætas fuit, ut omnes norant, philosophismi fidem negantis et subversionis Gallicæ et idecirco computari debet sub aspectu religioso inter nefandissimas Historiæ epochas. Huic seculo tamen non defuerunt sancti. In eo etiam Cultus B. Virginis incrementum aliquod accepit, novaque gloria antea incognita decoratus est. L quod de inauguratione istius mensis marialis, cujus reditus annuus cum tam alacri pietate filiali, præsertim apud Gallos et Hispanos hodie salutatur et reputatur unum ex monilibus pretiosissimis, quibus efformatur diadema terrestre Reginae coelorum et terræ.

Antiquus paganismus aequaliter praeluserat instituto, cujus nunc requirendæ sunt origines; siquidem suis falsis diis consecraverat plerosque mensium anni ac etiam plura ex signis zodiaci. Ecclesia christiana nihil tale, nescio qua de causa, meditata est per decem et septem secula. Providentia divina, quæ coelestia simul et terrena moderatur, hanc novam agendi rationem forsân servabat nostris calamitosis temporibus ut ex hoc fonte aliquod fervoris et caloris accipiant fides tepida, et caritas quasi frigida nostrorum cœvorum. Quidquid sit de hoc problemate, devotio

¹⁾ Silent de hac re historici et lexicographi ecclesiastici, sed si consulatur Cataloni Commentarium in Pontificali Romanum (Editio Guéranger. Paris 1850, t. 2 p. 408 et seq.) Invenientur aliquot de hac re dilucidationes cum serie integra imaginum quæ fuerunt coronatæ ab anno 1631 ad annum 1734, ex quibus, plures sunt Romanæ seu Italiae, sed aliæ sunt Gallicæ, Hispanæ, Polonæ etc.

²⁾ Benedictus XIV. De festis B. Mariae Virginis, X. n. 5 et 6.

mensis Marialis non apparuit de facto ante initium seculi decimi octavi. Nam quae dicta sunt de S. Philippo Nerio, et de piis exercitiis quibus jam exeunte seculo decimo sexto, ab eo dicatus erat integre mensis Maius supposita sunt nec tradita a biographis ejus: ¹⁾ Anno vero 1724 editus est Dilingae in Bavaria Mensis Marianus, qui nihil aliud erat quam Vita Beatissimae Virginis in singulos dies mensis proposita, et ex ejus textu eruitur jam invaluisse in aliquot locis usum colendi Virginem Mariam per seriem continuam triginta et unius dierum exercitiorum piorum. Solummodo iste usus non erat affixus isti vel alio mensi nec erat necessario annuus. Unde etiam talis usus magnam analogiam habebat cum hodierno sed tamen non erat identicus.

Paulo post doctus Pater Magnoaldus Ziegelbauer, et ipse Germannus et Suevus si non Bavarus, cujus doctrina et ingenium tam clarescunt in Historia litteraria ordinis nostri et in aliis ejus scriptis, composuit et ipse ad laudem Virginis Mariae, cujus erat devotus cliens, opusculum adhuc ineditum, cui dedit titulum sequentem: Virginis Mariae Deiparae sacer trigesimus a XVIII^o. calendas Septembris ad Iudas ejusdem mensis. ²⁾ Ex tali scripto conjici licet usum, de quo agitur, multum jam invaluisse in Germania meridionali. Insuper modus agendi, quem noster Ziegelbauer proponebat, sapienter excogitatus fuerat: nam iste trigesimus sacer incipiebat cum triumpho Virginis ad coelos assumptae, et non concludebatur ante octavam Nativitatis ejusdem Virginis Deiparae.

Verumtamen res alium exitum habuit. Nam in anno 1758 Pater Lalomia, Jesuita Neapolitanus et Missionarius edidit Panormi in lingua italica novum librum ejusdem generis ac duos precedentes, sed cum titulo diverso et absolute explicito, scilicet: Mensis Maius consecratus laudi Matris Dei. ³⁾ Hinc iste pius religiosus a pluribus simpliciter salutatur tanquam auctor institutionis mensis Marialis, quin altius ascendatur. ⁴⁾ Sed assertio non est vera sub omni respectu, ut ostensum est, mihique licuit fidelius enarrare initia devotionis mensis annui Virgini Deiparae consecrati. Caeterum negare non volo istum pium usum multo magis quam antea invaluisse et diffusum esse ex diebus Patris Lalomia, ⁵⁾ et ex determinatione praecisa cujusdam mensis annui pro ejus adimplerione. Nam ante publicationem opusculi dicti

¹⁾ Sambucy: (Manuel des Devoions. Deuxiems partae, nr. 76) auctor esse videtur hujus suppositionis.

²⁾ Historia litteraria Ordinis S. Benedicti t. 4, p. 185.

³⁾ Il Mese di Maggio consacrato alle glorie della Madre di Dio.

⁴⁾ Ita agit Moroni. Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica t. XLIV, p. 250.

⁵⁾ Confer Bibliothecam Scriptorum Societatis Jesu. Nomina: Dore et Lalomia.

Patris, usus, de quo agitur, parum notus erat in Italia,¹⁾ dum tringinta annis postea seu exeunte eodem seculo decimo octavo illum jam invenimus vigentem Romae et in multis aliis locis. Quae res dedit docto Canonico Muzzarelli olim membro Societatis Jesu occasionem edendi secundo cum multis additionibus el Mese di Maria. Liber vero Muzzarellianus cum multo applausu piorum fidelium acceptus in Italia. traductus etiam fuit in lingua gallica et forsàn in aliis. Hinc nova diffusio mensis Marialis. Quòd quum videret Pius VII, qui tunc regebat cymbam Petri, magnaque existimatione Muzzarelli circumplectebatur ut doctum theologum, approbavit auctoritate apostolica pro prima vice per rescriptum datum die 24. martii 1815 dictam praxim mensis Marialis, eamque multis ditavit indulgentiis. Postea eandem agendi rationem imitati sunt Gregorius XVI, Pius IX, ae nostris diebus Leo XIII.

§ 9. De Cultu B. Virginis in decimo nòno seculo.

Epilogus.

Decimum nonum seculum, in quo vivimus, vergit cito ad finem, sed tamen clare nescimus qua fama seu existimatione apud posteros sit gavisurum et quo nomine distinctivo in historia nuncupandum sit, quia Proteo non satis dissimile est, et in ejus existentia mala bonis multiformiter admixta sunt.

Mihi proponere juvat nomen Seculi Marialis, et forsàn non sine aliqua ratione probabili. Nam si nostra aetas singularem plurium adinventionum magni nominis prae se fert gloriam v. g. viarum ferrearum, electricitatis, et aliquot similium, istae tamen adinventiones materiales sunt parumque proficiunt ad emendationem morum seu ad bonum procurandum tum intellectus, tum animae. Unde in his non potest essentialiter consistere vera gloria generis humani. Si vero nunc revolvo in mente mea rem Christianam sedula meditatione ab initio seculi usque ad presentem annum cum innumeris eventibus diversi generis seu exitus, quibus ista res Christiana mirabilius adaucta est ad emendationem morum et ad salutem animarum procurandam, numerosa sunt tum opera apostolatus apud paganos et haereticos, tum incrementa fidei et caritatis apud pios et viros religiosos. Ista et alia analoga, quae hic exponere supervacaneum esset, magna sunt admiratione digna, sed nihil tamen meo judicio mirabilius quam augmenta pietatis filialis erga Virginem Deiparam, quorum spectaculum habuimus in diebus nostris, et e quibus quatuor tantum manifestationes tanquam magis stupendas hic esse proferendas puto.

¹⁾ Haec consequentia prodit ex eo quod S. Alphonsus-Maria de Ligorio, tam alaari pietate erga Virginem Mariam succensus, nihil dicit de mense Mariali in scripto: *Las glorias de Maria*, edito in anno 1755—56, ubi tractat ex professo de aliis exercitiis tunc temporis usitatis erga eandem Deiparam.

1^o. Offeritur in primo loco Definitio dogmatica Immaculatae Conceptionis ejusdem Virginis Mariae, quae habita fuit die octava Decembris anni 1854, universo plaudente orbe Christiano. Huic definitioni, et festis, quae ejus proclamationem comitatae sunt, nihil forsitan aequale seu analogum invenitur in Annalibus ecclesiasticis seculorum praeteritorum praeter Concilium Ephesinum anni 451 et dogma Maternitatis divinae quod ibi definitum est ad laudem ejusdem Virginis Matris Dei.

2^o. Adest in secundo loco apparitio ejusdem Virginis Mariae in Alpibus Allobrogum prope civitatem Gratianopolitanam habita die decima nona Septembris anni 1846, et peregrinationes dictae nostrae Dominae de la Salette inde susceptae.

3^o. Item exhibentur in tertio loco apparitiones adhuc celebriores ejusdem Virginis sub titulo explicito Immaculae Conceptionis et pluri vicibus repetitae in montibus Pyrenaeis prope Castrum de Lourdes in mense Febuario anni 1858 et initium cujusdam peregrinationis sine praecedenti in annalibus Ecclesiae, siquidem huc accurrunt peregrini non solum ex Gallia et diversis Europae regnis, sed etiam ex Asia et aliis partibus orbis non exceptis insulis Oceani et regionibus et personis haereticis. Insuper haec peregrinatio, quae iteratis vicibus repetitur quotannis innumeris et multum stupendis decoratur miraculis.

4^o. In quarto loco notanda est institutio novi mensis annui, scilicet mensis Octobris in honorem ejusdem Virginis sub titulo ejus Sanctissimi Rosarii. Inchoatum in mense Octobris anni 1883 vigore decreti Pontificii lati die primo Septembris ejusdem anni, hoc novum exercitium ostensum est ad instar boni seminis, quod cadens in terram bonam oritur feliciter et facit fructum centuplum.

Haec sunt, quae veram conciliant gloriam decimo nono seculo: nam multiformiter profuerunt toti societati civili et ecclesiasticae medendo tum corporis infirmitatibus tum animarum languoribus et vitiis. Unde optandum est merito, sicut jam dixi, istud seculum insigniri titulo et nomine Seculi Marialis.

Epilogus.

Quidquid sit tamen de isto voto et de ejus futura adimplentione mihi liceat rursus dicere tanquam epilogum hujus tractationis, quod jam dicebam aequivalenter eam exordiens:

Historia Cultus B. Mariae Virginis, cujus quamdam lectori exhibui delineationem, potest considerari quasi series fere continua speciminum externorum filialis amoris, quibus Christus, mediante Ecclesia, matrem suam insignivit in decursu seculorum. Quilibet filius juxta legem Dei debet honorare patrem suum et matrem suam. Porro indubie non derogavit huic legi Christus, filius Mariae. Etenim non solum eam praelegit, et innumeris dotibus decoravit,

sed insuper eam exaltavit usque ad mensuram propriam in quantum haec exaltatio creaturam condecet. Percurrantur quae dicta sunt in paginis praecedentibus. Inter annua et antiqua festa religionis computantur merito Incarnatio Christi, ipsius Nativitas, Praesentatio in templo, Passio, Resurrectio et Ascensio. Porro nonne hodie cessante a multis seculis lege secreti, de qua actum est supra, eadem id est analogae celebrantur festa in honorem Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Compassionis, Assumptionis et Coronationis Virginis Deiparae? Nonne ad instar cursus canonici institutus est cursus Marialis, qui est quotidianus, ut alter, et eisdem constat Horis? Nonne in pluribus circumstantiis mater aliquomodo ampliori ac Filius dignata est honore? verbi gratia quando tractatum fuit de festo Nominis Mariae, et de institutione mensis Marialis. Nam festum Sanctissimi Nominis Jesu non extensum est ad universam Ecclesiam nisi in anno 1721 dum festivitas Nominis Mariae quadraginta annis antea hac extensione gaudebat. Devotio vero mensis Sacrae infantiae Jesu, et aliorum ejusmodi nata est multis annis post institutionem mensis Marialis et quasi ejus simplex fuit imitatio. Quid plura? Intuere ergo, o homo, consilium Christi Dei et hominis, agnosce consilium pietatis filialis erga Virginem matrem, quam tam mirifice exaltavit, agnosce etiam consilium sapientiae Dei erga genus humanum cui prosunt mille modis ejusdem Virginis Mariae gloria et intercessio.

Scholae Benedictinae

sive

De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti auctis, excultis, propagatis et conservatis Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affligeniensis Monasterii
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

(Continuatio ex fasc. III. h. ai. pg. 386—396.)

V. Caput XIX. Quae Disputationes inter Monachos agitatae. Dictum
aliquid de Latinis nominibus, quae sibi adsciverunt.

Disputatio
a Monachis
ad modum
collationis
celebrata.

Et liberali ingeniorum conflictu veritatem purius
cerni, et eruditionem facile parari, in confesso est. Nec
aliud quidquam hodie in scholis praesertim Philosophicis
et Theologicis, frequentius quam Scholasticos inter se
committere, aut aliorum contra sententiarum et dicentiarum
argumentis obiicere et exponere, quo scientiae ipsorum periculum
fiat. Verum non de iis velitationibus nunc sermo nobis erit, sed